



EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera,  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

AD CELEBRITATEM  
NUPTIARVM

23.  
25

ORNATISS. ET PRV-  
DENTISS. VJRI, DIGNITA-  
TE, SAPIENTIA, ET AVCTORITATE PRÆ-  
stantis, Dn. Iacobi Gregorij, in veterum  
Soraborum metropoli consulis,

CVM

LECTISS. VIRGINE AN-  
NA, CLARISS. ET DOCTISS. VIRI DN.  
M. Balthazaris, illustris Gymnasij ibidem  
Professoris, F. Kief-  
vettera,

CARMINA CVM SOLENNI  
*votorum appreciatione nuncupata ab amicis,  
quorum suis singulorum versibus  
nomina subiecta  
sunt.*



SERVESTÆ  
Excudebat Bonaventura Faber.

Anno M. D. LXXXVIII.

AD CELEBRITATEM

INSTITUTUM

ORNATISS. ET PRV.

DEVTISS. NRY. DIGNITA.

TE. SAPIENTIA. ET AVCTORITATE. P. R. E.

frans, D. Jacobi Gregorij, in v. l. m. m.

Sorabornam metropoli consulis,

CVM

LECTISS. VIRGINE AN.

NA. CLARISS. ET DOCTISS. VIRIDN.

M. Balthasar, illu. G. manij ibidem

Proctura, r. Kof.

veneta

CAPITVLA CVM SOLENNI

etorum appellatione suscipiata ab amicis,

quorum suis fragoribus vestibus

nomina subiecta

sunt.



SEPTVESTE

Erceideler Bonaventura Eber.

Annus M. D. LXXXVIII.



## IN CONIUGIVM.

**R**es sacra coniugium est, summoq; probata parenti,  
Si dubitas, Satana respice mille dolos.  
Quod Deus odit, amat Satanas: quod displicet Orco  
Et furijs, gratum est, perplacet atq; Deo.  
Nititur in vetitum Satanas, castisq; resistit  
Legibus, & thalamo mille pericla struit.  
Haud faceret, mihi crede, Deum nisi foederis huius  
Autorem odisset, ni fugeretq; Deum.  
Oderit, at metuat: vana est sine viribus ira:  
Quos thalamo iungit, curat amatq; Deus.  
Coniugij leges Ecclesia sola tuetur:  
Sunt Paphia reliqui dedita turba Dea.  
Quam thalamum videt monachorum rasa caterua?  
Hui, torus, exclamant, quid nisi carnis opus?  
Scilicet horum animis, stimulat quos caca libido,  
Insedit castus religionis amor.  
Est schola coniugium producens semina Christo:  
Spurcitiem Veneris rasa caterua colit.  
Quisquis es, o Christi castum ne pollue templum:  
O fuge, ceu pestem, furt a nefanda lupa.  
Qui Christum non odit, amat socialia casti  
Foedera coniugij, nequitiamq; fugit.

Excubias agit, & circum tentoria figit,  
Pectora casta fovens, Filius ipse Dei.  
Ergo tibi sacra qui celebras, spem concipe letam:  
Hæc sacra sunt ipso vindice tuta Deo.

VV. Amlingus.

ODE NVPTIALIS.

**S**partana vultum flammeo  
Morpho obtegebat, cyclade  
Demta, insidens subsellio,  
Pedesq; vinc̄ta compede.

Quid hoc, Laconum, symbolo  
Gens innuebat callida?  
Hoc nempe, si nescis, probæ  
Dotes maritæ prætulit.

Velamen ecce luteum,  
Nunquam quod uxor flaminis  
Ponebat, haud diuortio  
Cui fas maritum vertere,  
Pulcro pudorem lumine,  
Amoris & constantiam,  
Fidemq; matrimonij  
Pingebat insolubilem,  
Pedum simul quam vincula  
Fausto notabant omine:

Sui

Sui indicabat sed laris  
Venus sedens custodiam:  
Huic adde cor libidinis  
Vagaq; flamma nescium,  
Fuciq; purum crimine,  
Quod nuda pectus arguit.  
Quid, sponse, votis in tuis  
Tali prius sit coniuge?  
Si qua est fides vati, tuam  
Talem tibi presto **ANNULAM.**

Haud ore vano cognitus,  
Nec fraude gnarus fallere,  
Orciq; peius ianua  
Mendacis exosus dolos.

Hos patris illa nam satu,  
Hos lacte matris imbibit  
Mores, venustas & pudor  
Cui bina pingunt lumina.

His respuenda nemini  
Adiunge dotis munera:  
Nummata virtus est enim  
Egente nummis gratior.

Et iure nam formam, genus  
Illi, fidemq; comparant:

Hoc nota cornu, fabulis  
Soror Melissa claruit.

Quis namq, credat arido  
Hanc cornu inesse copiam:  
Æs illud est, rerum nihil  
Hoc possidenti defuit.

Quodcumq, pascas, affatim  
Hoc dante suppetet tibi,  
Suadela, fama, gratia,  
Auctoritas, insignia.

Tua, vir ample, coniuge,  
Tuoq, nupta, compare,  
Cum prole multa germinis,  
Ambo beati degite.

Triseclis alter secula  
Senis, sed annos altera  
Tui, Sibylla, pulveris  
Transcendat, ævo grandior.

Gregorius Bersmannus.

Eccles

Hoc

Δ 3



Ecclesiastes. 2. v. 16.

Dilectus meus mihi, & ego illi.

Mein Freund ist mein / vnd ich bin sein.

**V**T, quos connubij socialia fœdera iungunt,  
Excipit atq; unus, corpora bina torus:  
Quos inter casti, fuciōs expertis amoris  
Vis stabili iungit pectora fida fide:

Esto meum hoc, hoc esto tuum, fœdalia litis

Semina comburit vivaq; flamma tori:

Fœdera sic placuit DOMINO quia sancta coire

Natum inter, stimulat quos amor atq; DEI:

Filius ipse DEI, quod habent oracula vatis

Behridæ, sponsam legit in orbe sibi:

Osee 2. v.

Cœtum quippe sacrū, qui sancta Ecclesia dictus

19.

In Christi accepta est qua sine fraude fidem.

Huicq; fidem prestat, pacta intemerata tuendo,

Donec desponsum Christum habet ipsa sibi.

Inuitans ad se languentia pectora, voce

Afflictum hic suavi quœq; venire iubet.

Respersum & sancto latus exhibet ipse cruore,

Expansis vlnis allicit hisq; sonis:

Osculor, amplexor veniunt qui, seruo manentes,

Hæredes scribo sanguine eosq; poli.

Quin

Quin immo in cordis thalamos se condere nostri  
Hic gaudet sponsus, si viget alma fides.  
Cumq<sup>3</sup>, quod edixit Tarsensis Apostolus olim, Rom. 8.  
ψ. 32.  
Donarit Natum, qui regit astra Pater:  
Omnia largitus simul est, quorum indiget usus  
Vita, quæ in cæli sede perennis erit.  
Dilectusq<sup>2</sup> meus, cantare Ecclesia gestit,  
Est Christus: sponsam meq<sup>3</sup> amat iste suam.  
Hinc fortunato secreta ut gaudia casti  
Contingunt thalami, prospiciente Deo:  
Ibit ovans animis sic toto ex asse beatus,  
Christi qui sponsi gaudet amore mori.  
Huic sors sanctorum, decretaq<sup>3</sup> gaudia summi  
Evenient inter iubila lata poli.

M. Caspar Ulricus.

EPITHALAMIVM CVM ANNEXA  
acrostiche gratulatoria ad  
Sponsum.

SANCTA DEVS casti connectit vincula lecti,  
SANCTA DEVS casti dissolvit vincula lecti,  
VT vult, vt statuitq<sup>3</sup> suo sapiente statuto.  
Omnia namq<sup>3</sup> suo disponit pondere certo,

Men-

Mensura & numeris, quibus omnia prouidet orbe.  
Nec stricto fato qua fiunt, omnia fiunt,  
Sed patris ad nutum, qua fiunt, omnia fiunt.  
Ast ut in humanis nihil est durabile rebus:  
Sic etiam in thalamo nihil est durabile casto.  
Nam modò contrahitur, modò distrahiturq; fauore  
Numinis æterni, quo cuncta creata reguntur.  
Estq; eadem ratio thalami, qua funeris atri,  
Vna patet thalami, patet & via funeris vna.  
Ut rosa manè vigens marcescit sole cadente:  
Sic quoq; sponsa die succumbit sæpe cadente.  
Sic DEUS humanis in rebus ludere gaudet,  
Commutatq; vices, lacrymis & gaudia miscet,  
E medioq; senes tollit, iuvenesq; reponit.  
Pro vetula viduo reddit per sæpe puellam.  
Hinc vetulam iuuenis spe lucri ducit inanis,  
Spe subitaq; necis: sed multos credula fallit  
Spes iuuenes, vetulas sibi qui duxere salaces,  
Dum iuuenis vetulam, leto præuertitur ipsam.  
Quòd si fortè rapit vetulam, immutabile fatum,  
Non illam retrahi poscit de manibus imis,  
Ornamenta licet gerat in pedis aurea planta.  
Verùm amor hic levis est, & pluma vilior ipsa,  
Absit & à thalamo, nec floreat inter amantes

B

Ambos

Ambos florentes at atibus, ignibus ambos  
Ferventes licitis, quos numina sacra ligarunt.  
Namq; horum fors an fata ultima cum subit alter,  
Illius luget pars aspera fata superstes,  
Assiduis lacrymis, & pectore mæret acerbo.  
Hand secus ut caput humanū cum fortè dolores  
Percipit interius, tunc languent cætera membra  
Corporis, & lugent communia fata dolendo.  
Sic in coniugio pars rumpitur altera cordis,  
Conjuge sublata, pars altera saucia pendet,  
Sanguineas mæsto destillans pectore guttas,  
Donec in humano dependet corpore fixa,  
Vlla nec huic poterit morbo medicina mederi.  
Expertus loquor. Et factū res comprobat ipsa.  
Hoc quoq; nō minus expertus, doctissime SPON se, es,  
Sublata e medio, per tristia, conjuge, fata,  
Cum fasces urbis gereres: quid fascibus urbis  
Est gravius? qui nos cruciant noctesq; diesq;  
Assiduis curis: onus Ætna durius ipsum est.  
Nec satis illud erat, luctum sed acerbius augēt,  
In curis infans deplorans ubera matris,  
Et cum prole alia soror, atq; domestica turba,  
Communisq; dolor, gemitus, suspiria, luctus,  
Nec non illorum, quorum de sanguine prodijt,

Et

Et vacuus lectus, cura atq; domestica crebra.  
Sed DEVS humani generis servator & author  
Conjugijq; sacri, casum hunc miseratus acerbum,  
Mutatis vicibus (verum melioribus opto.)  
Pro demta costam reddit tibi conjugem castam,  
Qua tibi conueniens felici sidere prodit,  
Moribus exornata pijs, & sanguine claro,  
ANNA grauis pietate, grauis virtutibus ANNA.  
Qua didicit CHRISTUM teneris cognoscere ab annis,  
Quem cum Patre Deo colit, & cū FLAMINE sacro,  
Non titubante fide, vero quoq; pectoris aestu,  
Nescia flammaram vetitarum, nescia falsi,  
Cui semper cura est peragenda domestica cura.  
Anne placent mores, forma & spectabilis ANNÆ?  
Anna placet, seris tibi & ANNA placebit in annis.  
ANNA annis matura, annos multos aget ANNA.  
Talis vita viri est, talis cor virgo mariti,  
Omnes diuitias superans, gemmasq; nitentes.  
Talis virgo datur Dominum pietate timentem.  
Felix, cui sociam lecti dat foedere talem  
Legitimo CHRISTVS, lecti socialis origo.  
Huic DEVS in cunctis est sacro Numine prestò,  
Atq; illum Satana contra fera tela tuetur,  
Et benedicit ei cunctis in rebus habendis,

Quae modo cunq<sup>3</sup> facit, facit omnia prospera facta.  
Si qua ferenda tamen sunt, (ut sunt) aspera fata,  
Fert patiens, nutuq<sup>3</sup> DEI se ferre scit ista,  
Et tandem satur annorum, vita satur atq<sup>3</sup>  
Mortalis, cupiens dissolui, & de super esse,  
Cum Patre, cum Nato, cum Flammine vivit in ævum.  
Ergò depositis, nova concipe gaudia, curis,  
Sponse, dies à te thalami nova gaudia poscit,  
Qui ducis sponsam pietate, fideq<sup>3</sup> nitentem,  
Quæ tibi, dante DEO, vita sit carior ipsa.  
Tu quoq<sup>3</sup> non minus hoc, læt abere, SPONSA, marito,  
Qui, sacras teneris Musas veneratus ab annis,  
Qui decus est patria, patria cui curia cura est,  
Quiq<sup>3</sup> placere DEO conatur in omnibus actis,  
Ut Vita & mores testantur in omnibus eius.  
Tali tu digna es, castissima SPONSA, marito,  
Scilicet & tali te SPONSVS coniuge dignus.  
Gratulor ergò novis ex imo pectore sponsis.  
Et precor, ut sit opus, quod tractant, undiq<sup>3</sup> felix.  
Hæc dixisse sat est sint omnia prospera sponsis.  
Deniq<sup>3</sup> sponse tibi faustum, quod gratulor, esto:  
ANNAtibi multis Annis feret annua dona  
Natos ut videas - Natorum, in dulce lename N,

Nomen

Nomen ut inde DEI Notescat tale per omne N.  
Annuit his sponsus, Deus Annuit, annuit ANNA.

Andreas Crusius Reipub. Ser-  
vestana Prator.

ΩΙΔΗ ΓΑΜΙΚΗ.



Vostua Diva potens Paphi,  
Nascentes placido sidere, videras  
Mittendos animos, jugum  
Sub commune, placet nunc tibi mollibus  
Nexos mittere vinculis.

ANNAM GREGORIVS ducit amabilem,  
Fausta letus avi domum:

ANNAM, qua caluit turba procum, nitens  
Oscillum, & roseas genas,

Frustra & floridulum pectus amare quos  
Ardor fecerat irritus.

Hic solus potuit frigida adurere

Huic precordia virgini,

Et flammam gelidis subijcere ossibus,

Quæ nunc tota flagrat, cupit

Exultimq; virum moribus integris,

Es

Et quem religio DEF,  
Quem sincera fides, candida veritas,  
Virtus plurima, consilii  
Vires, subsidio iustitia fovent:  
Nigros propter ocellulos,  
Qui nec candidulā deperit ANNVLAM  
Tantum, nec fluidas opes:  
Mens praecleara movet, virgineum decus  
Urit corda medullitus.  
Nam qua venit a vo, quaeq; a via, optimis,  
Et qua matris ab optima,  
Fluxit, quaeq; patris semine ab optimi,  
Cur non optima tota sit?  
Sorti applaudo tua, SPONSE, venustula  
Qui nunc blanditer ANNVLA  
Ter felix fruere, basia mille dans,  
Et cui mille dat ANNVLA  
Rursum. Vincere, o sponse, dat in super  
Centum dulcis amicula:  
Vinci sed cupit: o redde trecenta, dum  
Turbetur numerus, scias  
Nec sponsus dederis basia quot tua,  
Nec quot sponsa sciat suo.  
At tu Nupta recens, connubio viri

Tanti



Tanti letior, effice  
Votis vota tui convenient tua,  
Nec lusus sine liberis  
Exercete. Venus cincta sororio  
Complexu Charitum, novi  
Latas continuet conjugii vices,  
Et nomen faciat bona,  
Vestrum, prole subinde ingenerarier,  
Æternæq; Lubentia  
Molles blanditias, gaudia sospitet  
Pax incincta comas rosis,  
Et tristes aditu pellat Erinnyas.  
O lectum ter & amplius  
Felicem, bona ubi Numina copulant  
Nexu pectora abeneo,  
In quo blandus Hymen mollia conjugat,  
Disiungenda, necis nisi  
Dirvellat rabies, corpora, nemini.

Iohann: Theopoltus Hilperh. M.

CARMEN NVPTIALE.

HVc ades o Hymenæe, Hymen, nunc dicite Musæ,  
Dicite, solennis surgit ab axe dies.

Digna

Digna dies vestro cantu est, & carmine digna,  
Qua socium jungunt fœmina virq̄ torum.  
Nonne sub excelsis, an fallor, turribus, æra  
Nunc feriunt auras, tympana dantq̄ sonum?  
Insonuere: cohors ad connubialia, magna  
Ecce venit pompa, lucida templa petens.  
Ergo age, cinge comã fertis, tu sponsor & obses  
Conjugii & tadas sume Hymenæe tuas,  
Ut modò presenti nova gaudia numine firmes,  
Nam faustè nullum, te sine, cedit opus.  
Et vos conviva sponsum deducite, vota  
Fundite, corde sacro concelebrate Deum,  
Firma ut sit semper cepta coniunctio vitæ,  
Illam nec ledat lis inimica malis.  
Premia pro meritis debentur talia sponso,  
Premia non cuiusvis persolvenda viro:  
Namq̄, ubi Gorgonii cõscendit ad ardua montis  
Culmina, clara tuis, Delphice magne, sacris.  
Pierias coluit studio fervente sorores,  
Et sua Castaliis labra rigavit aquis:  
Mox teneram aggressus studuit formare juventam,  
Solerti mores contudit arte feros.  
Curia nunc legum scrutatè abstrusa veretur,  
Mirantur cives, & fora raucæ stupent.

Publica

Publica cui cura utilitas, rebusq; salutem  
Quærit lapsuris, consilioq; iuvat.  
Quid memorem mites, humano in pectore mores?  
Nullus in excelso pectore fastus inest.  
Sic sibi perpetuam laudem virtute paravit,  
Et bona non ullis interitura malis:  
Est aliquid fateor, celebri de stemmate nasci,  
Et clara clarum ducere stirpe genus.  
At longè superant, sua quos industria claros  
Efficit, & leto succubuisse vetat.  
Laudem igitur, vir magne, tibi virtute parasti,  
Quæ præstante tuum nomen honore vehit:  
Nec tua, laude aliis est sponsa secunda puellis,  
Quæ tibi felici jungitur auspicio.  
Namq; Deum didicit fidenti mente precari,  
Prædita cælestis cognitione patris.  
Vnde piam decorat veneranda modestia formã,  
Cuius Tyndaridem vicerit oris honor.  
Huic similem quoties ardenti, Sponse, rogabas  
Pectore, quo fieret fida marita tibi.  
Sponsa igitur tali prorsus dignissima sponso,  
Et tali dignus conjuge sponsus adest.  
Ite ergò, quò fata jubent, superosq; vocate  
Vos juvenes, & vos turba verenda senes,

C

Vt

Ut longam vivat conjux, cum conjuge vitam,  
 Nec temeret sacrum fœda libido torum.  
 Sic ego nunc humili, cœli terraq; potentem,  
 Vestra liget nexu vincula, voce precor.  
 Vos duo corporibus faciat sed mentibus unum,  
 Quodq; volet sponsus, mox quoq; sponsa velit.  
 Una fides vobis maneat, sic una voluntas,  
 Una salus, unum pectus, & unus amor.  
 Vester amor Pylij superet quoq; Nestoris annos,  
 Vestraq; sit multa prole beata domus.  
 Hac sunt quæ nestra placuit cecinisse Thalia,  
 Nunc tu cum sponso sponsa pudica vale.

M. Iohannes Cnorr  
 Hanojcus F.

ΕΠΙΘΑΛΑΜΙΟΝ ΑΛΙΥΔ.



Ἴκ' ὀδύνη πέλετ', οὐδὲν ἔπι χθονὸς ἄχθ' ἀνίης,  
 Τῶν μερόπων θυμὸν, καὶ Φίλον ἦτορ ἔδον.  
 Ὅ,ττι μὴ, ἢ δολιχόν γε κατατρέψει τὸ ἡμᾶρ,  
 ἢ καταπαύσειεν τὸ γλυκὺ ῥῆμα θεοῦ.  
 Ἡμετέρας πόλεως μὲν ἔγωγε ΠΡΟΒΟΥΛΟΝ ὀπωπι  
 ΓΡΗΓΟΡΙΟΝ, χαλεπῶς ἀλγεσὶ τειρόμενον.  
 Δώματ' ὀκκ' ἀπύλην, πλευρὴν ἅμα σώματ', αὐτοῦ  
 Ἐκπινει ἰφ' ἀλοχον μοῖρα κραταιὰ Φίλην.

Ἡδε

Ἦδε θανούσα γ' αὐτῷ χαρματ' ἀφείλεν ἅπαντα,  
Ἄχθια, καὶ πᾶσιν τραῦμα λιπούσα κακόν.  
Φεῦ, ἠδὺν μέλλων λεχέων ὑπὲρ ὕπνον ἰαύειν,  
Θερμὰ ὀδυρόμεν(α) δάκρυα λήψεν αἰεὶ  
Φεῦ, ὅσακις, ἀνευ αἰδοίης ἀλόχοιο, τράπεζαν,  
Βλέφατο, καὶ εὐνήν, πολλὰ σέναξε βαρέως  
Οὔτις ὀδυρόμενον τὴν ἐγείρειν ἄρκει(α) ἔσκεν  
Ἄνδρα, δαμαζόμεναι πένθεα ἢ κακὰ  
Οὔδενός ἢ βουλήσιν ἐπίθετο, ἢε λόγοισιν:  
Τραῦμα τὸ κουφίζειν φάρμακον οὔδεν ἔην.  
Αὐτὰρ ἅπαντα λιπῶν, εὐχὰς ποτ' ὄλυμπον ἱάλλεν,  
Ἄλκαρ, ἰδ' αἰτήσας παρ θεοῦ, εὐτυχίην.  
Καὶ θεὸς ἀνδρὸς ἄφαρ κραδίης πόθον οὐασὶν ἔγνω,  
Θελξίνσον κ' αὐτῷ δῶκε παρηγορίην.  
Ἦδ' ὀλοφυρόμενῳ περικαλλέα ἐγγυάλιξεν  
Κούρην, ἠγ' ἔρβεν τὺνομα ANNA πέλει.  
Ἦδ' ὦ ΣΗΡΒΕΣΤῆ, τῷ εὐκτιμένῳ πτολιέθρῳ,  
Ἐγγεγαυῖα κλυτῷ σέμματος ἠδὲ γένους.  
Ἦδυεπῆ βλέφας γλώττην, καλὸν ἠδὲ πρόσωπον,  
Ἦθεα, κ' εὐσεβίην, καὶ φρένας εὐαγέας:  
Κάλλει ἀσράπειν βροτέης πείαλλα γενέθλης  
Μιν λέξοις, κ' ἔρατῆν ἀνδράσιν, ἠδὲ θεοῖς.  
Δεῦρ' οὖν ὦ πεπνυμέν' ἄνερ, κ' ἀριδείκετε ἔρχου,  
Τὴν σέο τὴν καθαρὴν λεύσσε, καλῆν τε κόρην.  
Ἦν γέ σοι οὐρανόθεν, δάτωρ τῶν, πέμψατ', εἰάν.  
Παντοίης κόσμησ' ἠδ' ἀρετῆσιν θεός.  
Θυμαλγῆ σκέδασον δαπὶ θυμοῦ κήδεα νοσῆ  
Χάρματα, ὅσα κακός γ' ἀμφεκάλυψε μόρ(α).  
Χαῖρε δ' ἀγαλλόμεν(α), θεὸς ὡς ἐθέλησε γ' αὐτός:  
ANNA δ' ἐγείρειν σ' ἦτορ αὐτῷ ἀχθόμενον.  
Νῦν ἀναπαύομεν(α) θυμὸν δ', ἀπὸ λαυ' ἐρατεινῆς  
Κουρδίης, μὴν αἰεὶ θ', ὡς σεο, σέργε, δέμας.  
Ἦ γ' σοι χαλεποῖς θαλάσῳρῃ πρήγμασιν ἔσται,

Ἐν τοῖς περὶ πωλὴ καὶ χαλκίονα καλοῖς.  
 Ἐκθύμως τε καὶ ἀρραγέῃ σὺ ἔρωτῃ ἀγοστῶ  
 Πρόσπυζον γαμβρὸν, πότνια νύμφα, σεο.  
 Χαῖρε λαχοῦσα κλυτὸν, συνετὸν τε, κενεσμένον ἄνδρα  
 φραδμοσύνη Ζαθέη, κ' ἔξοχα σάφροσύνη.  
 Αὐτὸς ἔφυ παρὰ δειγμά βίου συνάπασιν ἀμέμπτου.  
 Κύδῃ ἐν ἀνθρώποις, τοῦνομ' ἔχων τε κελόν.  
 Κηρόφιν οὖν τὸν σέργε τὸν καὶ ἄνδρα γέραϊρε,  
 Νήμφα, θεὸν καθαρή τίσει ἠδὲ σέβου.  
 Ἰλαον ὡς γὰρ αἰεὶ θεὸν ἔξετεν, ἠδὲ βροχθόν.  
 Πᾶσιν ἰδ' ἐν βιότου πρᾶγμασιν εὐτυχίην.  
 Κοσμήσει δὲ φίλοις ὑμῶν, δώροισι γάμοιο,  
 Τέκνοις, ὅς σεμνὰ σήσεται δεσμῶν βίου.  
 Ἐνθεν εὐφροσύνη γλυκὺς ὑμῖν: οὐδέ τι πικρὸν  
 Λυπήσει θαλάμης ἀγνὸν ἔρωτα νέης.  
 Εὐχομ' ἐγὼ τέμνειν δηρὸν βιότοιο κέλευθεν  
 Ἰμμί, χ' ὁμοφρονέειν, τρυγόνες ὡσπερ, αἰεὶ.  
 Ἀλγινόεσσα φύγοι, δὲ κ' ἀπατάλας ἔνθεν ἐρμηνύς,  
 Εἰρήνην δὲ θεὸς δοίη ἄνωθεν Ἀμήν.

Latinè.

**N**ullus in his terris dolor est tā̄ sevens & atrox,  
 Humana rodens pectora:  
 Quin illum lenire queat, vel temporis aura,  
 Vel vox DEI sanctissima.  
 CONSVLE Mego nostrum vidi tabescere luctu,  
 Æstus solent ut flosculi.  
 Dempta sibi postquam fato pars altera cordis,  
 Conjux erat lectissima.

Deli-

Delicias hac una suas abduxerat omnes,  
Gravi relicto vulnere.  
Heu quoties dulcis capturus munera somni,  
Vultum rigavit fletibus?  
Heu vacuam quantis dilectâ conjuge mensam  
Aspexit hic doloribus?  
Sapius ex imo suspiria sedula corde  
Ipsam trahentem vidimus.  
Nemo viri potuit tantos sedare dolores,  
Nemo tulit solatium.  
Non est consiliis hominum, nec tempore passus  
Hoc se levare vulnere.  
Omnibus at spretis, cœli suspirat ad arcem,  
DEJ levamen expetit.  
Nec mora: percipiens PATER hac iustissima vota,  
Præstat viro solatium.  
Eligit & mæsto multis de millibus unam,  
Cui nomen ANNA amabile.  
Et quæ Servestæ generosa stirpe creata,  
Raris nitet virtutibus.  
Si quis respiciat linguam, faciemq; decoram,  
Mores probos, mentem piam:  
Offeret hac sese virgo non pulchrior ulla,  
In orbe nec modestior.

Ergo veni **CONSVL**, vir prudentissime prodi,  
Castam vide puellulam,  
Quam tibi Rex superum caelesti mittit ab Aula,  
Summis celebrem dotibus.  
Exue quos nutris luctus, en gaudia, quondam  
Quae seua mors ademerat.  
Exulta, sic namq; Dii voluere, tuum cor  
Sanabit illa plantula.  
Nunc animum recrea, fruitor nunc suaviter ista,  
Sit haec decus domus tua.  
Tuq; modo parili latum complectere sponsum  
Puella formosissima.  
Insignis micat ex ipso virtutis imago,  
Divina tum prudentia.  
Illius aeterno celebratur nomen honore,  
Eius viget benignitas.  
Sis studiosa tui, docti studiosa mariti,  
**DEUM** verere maximum.  
Propitio vobis sic semper numine cedit,  
Quicquid laboris vos premet.  
Fertilis ac instar vitis vos prole beabit.  
Rerum creator optimus.  
Inde voluptatem capietis, vincula lecti  
Nihil ferent molestia.

Ducite



Ducite perpetuo tranquillam federe vitam,  
Turtur velut cum turture.

Ne vestros animos tristis dissolvat Erinnyes,  
Æterna faxit Trinitas.

Petrus Schuman Lindaviensis  
illustr. S. Gymnasii, nec non  
ipsius Sponsi alumnus, debi-  
ta gratitudinis ergò.

Votum Nuptiale.

SI rectè fratres casta fecère Rebecca,  
Quòd discessura patriis ex adibus, oras  
Quàm peteret Chanaan, dilecti & limina spōsi,  
Oscula fixerunt prius, amplexuq; lacertis,  
Herentes, votis abeunti prospera fata  
Optarunt: tibi cur non apprecer omnia fausta,  
ANNA soror, patrem, fratres, matremq; sororesq;  
Ut linquens comitare virum fato tibi junctum?  
Quapropter quæ vota sua pro sorte sororis  
Suscepere illi, toto nunc pectore fundo,  
Et precor, ut felix in millia plurima crescas  
Fatidica felix numeres & virginis annos,

Et

Et parias natos, & natas, unde propago  
Exoriens generis nostri numerosior extet.  
Prospera decurrat tibi fors cum cōjuge: mordax  
Nil livor thalamos in vestros juris habeto,  
Ne minuatur amor vester, venientibus annis,  
Verum succrescat simul, accrescentibus annis,  
I Soror, j felix, CHRISTV Scomitetur euntem.  
Connubii puppis, qui prora est, atq; carina.

Balthasar Kiesvetter  
junior.



W 1996

8

ULB Halle 3  
 002 063 808



nicht aufg., da unvollst. u.  
 nicht zu ermitteln!  
 28 a / 50 1996 /

W 17 M







AD CELEBRITATEM  
NUPTIARVM  
ORNATISS. ET PRV-  
DENTISS. VJRI, DIGNITA-  
TE, SAPIENTIA, ET AVCTORITATE PRÆ-  
stantis, Dn. Iacobi Gregorij, in veterum  
Soraborum metropoli consulis,

CVM

LECTISS. VIRGINE AN-  
NA, CLARISS. ET DOCTISS. VIRIDN.  
M. Balthafaris, illustris Gymnasij ibidem  
Professoris, F. Kief-  
vettera,

CARMINA CVM SOLENNI  
votorum appreciatione nuncupata ab amicis,  
quorum suis singulorum versibus  
nomina subiecta  
sunt.



SERVE STÆ  
Excudebat Bonaventura Faber.

Anno M. D. LXXXVIII.

23.  
25

